

dictum agrum in Ranuoltycz ab omnibus servitiis exactionibus contributionibus et angariis, ad quas ante praedictam permutationem tenebatur, eximentes eum titulo proprietatis in dictum hospitale transferimus a dicto hospitali cum omnibus attinentiis perpetuo possidendum. In cuius rei evidens testimonium praesens scriptum dicto hospitali damus sigilli nostri munimine roboratum. Testes huius sunt Heinricus de Wrganewycz miles noster, Thyzco et Hermannus fratres de Wilntin, Petrus de Zwochowe, Sydeler, Bertoldus de Strupin et quamplures alii fide digni. Datum Dresden anno domini millesimo CCC^o. X. VIII^o. Kalendas Junii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem zerbrochenen Siegel an einem Pergamentstreifen.

No. 28. 1311. 26. Juni.

Markgraf Friedrich von Dresden eignet der Elbbrücke Gefälle in Lockwitz, Prohlis, Bannewitz und Grumbach, welche der Burgermeister Johann vom Lindech und andere genannte Bürger zum Besten der Brückenbaukasse käuflich erworben haben.

In nomine domini amen. Fridericus dei gratia marchio de Dresden universis hanc litteram inspecturis vel audituris salutem in omnium salvatore. Tunc gratum deo et pium obsequium impenditur et fidelium devotio ad opera caritatis facienda fortius allicitur, si ea quae pro commodo et salute plurimorum procurata sunt et constructa, ne vilescant et pereant, studiosius et sagaciter conserventur et multorum beneficiis et subventionibus amplientur. Quapropter ad omnium tam praesentium quam futurorum Christi fidelium notitiam cupimus pervenire, quod cum per nostros fideles et viros honorabiles Iohannem videlicet de Lindech magistrum civium nostrorum in Dresden, Andream de Magdeburg, Cunradum dictum Buling et Thyzconem fratrem suum, Petrum Institorem, Apez Pistorem, Iohannem Magnum, Apez Isfridi, Hermannum de Blankenwalde magistrum pontis, Henricum de Kemenycz, Petrum de Orreo, Iacobum Magnum, Nycholaum quondam magistrum monetae, Iohannem de Reymarsdorf, Ottonem de Schyrschycz, Ottonem Welzsac et Thymonem Helewici sint pro conservatione aedificatione et reparatione lapidei pontis ultra fluvium Albeae protensi Dresden redditus bonorum in villis infra notatis cum nostra bona voluntate et consensu iustae emptionis et venditionis titulo accedente comparati, videlicet in villa Luekawytz^a) octavum dimidium talentum et quatuor solidi annui census, in villa Proles^b) sextum dimidium talentum et quatuor solidi annui census, in villa Panewycz septimum dimidium talentum et decem denarii annui census et in villa Grunenbach^c) unum talentum similiter annuae pensionis, nos devotionem diligentiam et pium affectum quo dicti iurati nostri circa dictum pontem moventur quam plurimum commendantes, ipsis quoque quantum possumus nostris consiliis auxiliis et promotionibus ad omnia facienda et perficienda, quae pro utilitate commodo et libertate dicti pontis esse poterunt uberrime cooperari volentes, dictas villas cum omnibus earum bonis et pertinentiis, censu undecunque provenerit vel solutus fuerit pretio campis mansis lignis virgultis

a) Lockwitz, Eph. Dresden. b) Prohlis, Par. Leubnitz. c) Grumbach, Eph. Dresden.